

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
DE
M O X A
QUAM ANNUENTE
INCLYTA FACULTATE MEDICA
PRO GRADU DOCTORIS MEDICINAE
RITE CONSEQUENDO
IN ALMA AC CELEBERRIMA REGIA SCIENTIARUM
UNIVERSITATE PESTIENSI
PUBLICAE ERUDITORUM DISQUISITIONI SUBMITTIT

ANTONIUS C. FELDMANN,

AA. LL. ET PHILOSOPHIAE DOCTOR, etc.

HUNGARUS NEOSOLIENSIS.

Theses adnexae publice defendentur in R. Scientiarum
Universitatis palatio majore die 31. Octobris 1831.

PESTINI,

TYPIS NOBILIS J. M. TRATTNER DE PETRÓZA.



PERILLUSTRI AC GENEROSO DOMINO
VICTORI CAROLO GIOVANOLI
MERCATORI AC CIVI IN LIBERA REGIA
CIVITATE NEOSOLIENSI
AFFINI SUO

O. M. IN SINCERAE AMICITIAE

MEMORIÆ AETERNÆ VICTORI
PERPETUI AESTIMII

AD MONUMENTUM expressum

DISSERTATIONEM HANC
DICTAT.

OP. TAVIA

AUTHOR.

etiam in primis cibis et libatoibus ibitqueq; in
aliquotib; nulli usq; ob empluibus, eis
adib; etiamq; sibi et ab eo qd ob arietib;
utrumq; in aliis ruroribus auditibus to
civitatis habebit vniuersitatem, et universitatem
enodat, et **Pro o e m i u m.** Quia
autem omnem obitumq; in morte, odo et
aliorumq; propriaq; in mortuorum obituariis

Instituto litterario satisfactus moxam in
thema Dissertationis meae inauguralis ea
ex ratione elegi, quod ultimo hoc saeculo
Germaniae medicorum pauci, in Hungaria
vero vix aliquis moxam in usum vocaverit;
cum tamen Jappanenses, et Chinenses ab
antiquissimis temporibus moxam in morbis
etiam gravissimis tanta cum praedilectio-
ne adhibeant, ut posthabitis omnibus aliis
indicatis pharmacis ad moxam ceu reme-
diuum efficacissimum confugiant; in Gallia
quoque ut alios silentio praeteream, post
C. Larrey, B. Percy, non absimiliter in
Hispania Doctores Rivera, et Sabino, in
Anglia Boyle moxam salutari cum effectu
adhibeant, e re esse censui, ut in gratiam
pagellas has lecturis, id, quod de Moxa,
ejus varietatibus, de moxam parandi, atque

applicandi methodis, differentia intuitu actionis, denique de usu illius medicinali in diversis de hoc objecto scriptis periodicis et authoribus dispersum reperi, in unum colligerem, et breviter totidem distinctis sub Capitibus exponerem, atque sic thema hoc obsoletum, in scholis de nomine tantummodo notum, in lucem vocarem.

C A P U T I.

De moxa, ejus varietatibus atque parandi methodis.

Moxa figuram habet parvae pyramidis, aut cylindri, cuius basis sex usque octo lineas in diametro numerat, altitudo vero unum pollicem non excedit. In casibus solitummodo extraordinariis majoris quidquam dimensionis moxas adhibent Japanenses et Chinenses, quas hic construere norunt ex artemisiae vulgaris latifoliae Lin. gossypio, quod planta haec longiori tempore in umbra siccata, postmodum bene carminata rejecta epidermide largitur, quod dein iidem ignoto hactenus vinculo in formam pyramidis cogunt, atque detinent.

Apud Europaeos paratur moxa juxta-C. Larrey e gossypio arboreo carminato, quod in frustillum tenuis telae involvitur ita, ut formam cylindri parvi aut pyramidis referat, quam formam ut porro quoque retineat; aliquot puncturis acus firmatur. Si moxa cylindrum conicum reprezentet, debet longitudo ejus circiter unum pollicem habere, crassities vero huic appropartionata esse.

Juxta B. Percy construitur moxa aut ex helianthi anni medulla, quae ut notum est Kali nitricum sua sponte exclusum in superficie sua gerit, aut e mollibus filis lineis in formam gossypii carminatis atque in solutione drachmarum duarum Kali nitrici in unius librae aquae communis per longius tempus maceratis, dein siccatis, et iterum carminatis, stratoseque locatis, quae

strata deinde tenui atque attrita tela gossypina praevie in solutione prius dicta peraeque macerata in formam cylindrorum obvolvuntur.

Pharmacopaeus Parisiensis nomine Bataille (rue de Beaune Nro 23, duplicitis formae moxas tela gossypina Cattun dicta obvolutas e medulla helianthi annui parat, easque cylindros ardentes aut Percy moxas generatim nuncupat.

Speciatim autem moxas cylindros repraesentantes imperforatos, unum pollicem in altitudine habentes, quoad diametrum vero a dimidiò usque unum pollicem variantes et intra 2—3 minuta prima conflagrantes moxas de Vellours nominat. Alterius vero formae moxas appellat Poupees de Feu, pupulas igneas (Feuerpuppen), quae formam habent coni parvi sachari, qui in medio sui foramen duarum linearum in diametro, usque $\frac{2}{3}$ altitudinis pupulae pertingens, apicem vero imperforatum ellychnioque instructum habet.—In pupulis his accenditur medio carbonis carentis, vel medio glomi cerei aut ellychnium in apice positum, aut si necesse sit, eas abbreviari superficies per rescissionem enata. Hujusmodi pupulae intra 3. 4—5. minuta prima deflagrant, prout nempe plus aut minus ex tercia imperforata pupulae parte abscondit. Generatim autem, quod de omnibus moxis valet curandum, ut tota superficies simul accendatur.

C A P U T . II.

Moxam applicandi ratio.

Ut moxa bene applicari possit, locus cui moxa imponenda venit, notatur pigmento quadam nigro, v. c. atramento. Deinde tota superficies cutis membra illius linteo madido fortiter expresso, facto in puncto notato foramine tegi debet ad impediendum, ne scintillæ decidentes eutem reliquam laedant. Quamprimum moxa in sua superficie superiori accenditur, basis ejusdem in ten-

culo *) moxae fixa, loco atramento notato superponitur, et medio tubi ferruminatorii usque ad plenariam moxae conflagrationem aer lente afflatur. Et haec est procedendi ratio in deflagratione moxarum Japanensium, Chinensium, nec non Larreyanarum.

Moxae Percyanae, quae accensae absque afflatu aeris comburuntur, auxilio tubi ferruminatorii quod non egeant, per se clarum est. Hae retinentur in designato loco medio acus, aut fili tenuis metallici stilo quopiam instructi, aut medio volsellae cruribus subtilibus provisae. Cum vero moxae, quae e medulla parantur, admodum leves sint, hae optime figuntur, si earum basis ichthyocolla soluta illinatur. Percy apud infantes aut adultiores, inquietos tenue crustulum madefactum basi moxae applicat, et taliter eam loco adurendo imponit, quin testante eodem plenaria deflagratio moxae hoc modo impediatur.

C A P U T . III.

Differentia intuitu actionis moxarum.

Intuitu hujus inter moxas Europaeas et Japanensium atque Chinensium magnum observatur discrimen, unde etiam ut cuique pateat, quae species moxarum alteri praferenda sit, exponam singularum actionem.

Japanensium et Chinensium moxa se distinguit a nostris Europaeis actione sua lenta. Postquam nempe in sua superficie accenditur, oboritur in cute sensus quispiam caloris haud molesti, qui in specie quadam vibrationis consistit, et analogus est sensationi, quae instantem lipothymiam praecedit. Sensatio haec mutatur sensim in aestum, qui successive increscit ita, ut priusquam ad maximum intensitatis gradum perveniat, adminus 100 minuta secunda elabantur. Intensitas haec durat 15—20

*) Tenaculum moxae (Porte moxa Moxaträger) inservit moxae ubi licet sigendae. Est autem stilo provisus annulus metallicus, qui per adglutinata tria minuta substacula e ligno ebeno malo utpote conductore calorici a cute remotus, basim moxae recipit, et usque ad plenariam ejusdem conflagrationem regit.

secundis, dein ejusdem imminutio continuat 14—18 secundis, atque sic universum doloris sensatio actione moxae supranominatae excitata durat per $2\frac{1}{4}$ minuti primi. Crusta alboslavicans humida, minoris quidquam diametri quam basis moxae fuit, per dies 14 perstat. — Operatione absoluta pars affecta absque augmento doloris attactum perfert, suppuratione vero insequens, et ulceris profunditas non sunt tam notabiles, prout quas nostrae moxae comites habent.

Moxae juxta C. Larrey, et praeeunte Percy a Pharmacopaeo Bataille e medulla helianthi paratae causant in cute calorem valde molestum, qui subito in magnum ardorem increscit, qui in Larreyanis 12—15 minutis primis, in Percyanis 2—3 minutis primis durat, quoad usque tandem ignis cutem contingens crustam fuscum aut nigricantem exsuccam causat. Quae per cylindros ardenttes Percyanos inducta est crusta, figuram circularem, et quod notari meretur, ejusdem crassitiae per universum offert. Post Larreyanas vero moxas enata crusta exsucca jam die 5 aut 6. decidens, nucus profundum largiter suppurrans, cicatrice diu sensili consolidandum relinquit.

C A P U T . IV.

Usus medicinalis moxae.

Salutares vires moxae consistunt in plenaria perturbatione sensititatis, et translocatione focū morbosae irritationis partis affectae. Ut autem effectum hunc procurare valeat moxa, princeps ejus qualitas sit oportet, ut lente deflagret, et successivam, sed diutius durantem irritationem producat, et in hoc differt actio moxae ab actione ferri carentis, quod Prof. Rust in luxatione spontanea adhibet, quoniam hoc subita, violentique sua actione partis contactae cutem destruit, quin impressione sua dolorem diutius perdurantem, atque sic novum irritationis, derivationisque focum procuret. — Ob eandem rationem etiam Larrey contra usum moxarum Percyanarum cito conflagrantium excipit, licet earundem efficaciam in clandestinis pulmonum inflammationibus ipse ultra agnoscat. Effectus enim moxae est in ratione di-

recta intensitatis, et duratione irritationis; dependet itaque magis a foco phlogoseos crustam ambeunte, quam ab insequente suppuratione, eapropter etiam C. Larrey aliquot guttas ammoniae liquidae loco suppuranti superfundit ad imminuendam atque abbreviandam saepe in longius tempus excurrentem suppurationem. Facile enim contingit, ut pars affecta irritationi per suppurationem longiorem excitatae adsvescat, atque sic derivatio intenta haud obtineatur; insuper apud aegros cachecticos suppuratione protracta miserias eorundem auget, e. c. in nonnullis casibus apud rhachiticos. Interim per se clarum est, quod suppuratione haec pro circumstantiis jam foveri jam inhiberi debeat. Nam quo magis heroicum est quoddam remedium, eo magis noxiū evadit in manu imperiti. Moxa enim quibusdam corporis humani partibus applicata periculosisima symptomata provocavit. Sic C. de Haen et Pouteau narrant, quod parti capititis eute solummodo tectae applicata moxa inflammationem meningum cerebri et mortem adduxerit. Eapropter dispiciendum est, quibus partibus moxam applicare non conveniat.

Non convenit applicare moxam:

1mo. Illi parti capititis, quae integumentis communibus et pericranio nonnisi tegitur.

2do. Palpebris, naso, auriculis, laryngi ac tracheae per totum hujus decursum, glandulis mammarum, lineac albae, nec non organis genitalibus, si praesentibus, e. c. tumoribus scirrhosis moxam perinaeo applicare non libet.

3to. Regionibus illis, in quibus tendines prope superficiem siti sunt, aut in articulationibus, ubi metus adest, laesionis membranarum capsularium.

Scopo effectum moxae adjuvante praemitti possunt eucurbitae cruentas, et in omni casu cura interna adaequata adhibenda.

Respectu morborum, in quibus moxa commendari meretur, recurro ut plurimum ad expertissimum Larrey, qui primus inter continentis medicos ad normam Japanensem et Chinensem moxam in morbis persaepe gravissimis felici cum successu adhibuit, et sequentes adnotavit:

A. In morbis oculorum ortis ex defectu activitatis membranarum bulbi ipsius, incipiente cataracta, debilitate aut neicum inveterata paralysi nervi optici indicatur moxa, quae juxta decursum nervorum, cum nervis ocularibus proximo in nexus existentium applicatur. e. c. supra nervum facialem ejusque ramos, supra nervum maxillarem superiorem, et nervum frontalem.

B: In morbis Organi auditus, speciatim in cophosi per frigus humidum exorta cum aphonia conjuncta, rami nervi facialis, nec non circa aurem applicata moxa bonum persaepe effectum habuit.

C. In morbis systematis muscularis: si motus convulsivi quorundam muscularum habituales aut chronicus evaserunt, e. c. in prosopalgia undecunque, cumprimis post contusiones orta indicatur moxa. Debet autem morbi ipsius sedi aut decursui laesi nervi quantum licet proxime applicari. — In paralyse muscularum diversi gradus et extensionis cum vel sine alienatione sensititatis: per consequens in paraplegiis *) ubi moxa in vicinia columnae vertebrarum, ad apophyses costales, ad os sacrum, nec non ad basim cranii, hoc est, generatim ad originem nervorum motui et sensationi partis affectae insertum, applicata miros subinde effectus produxit. — In hemiplegia faciei per applicationem moxae ad ramos nervi facialis, et anteriores ramos nervi cervicalis multum boni praestatur; in hemiplegia inveterata extremitatum non multum salutis a moxa expectandum. Recenter natam applicitiae moxae ad latera columnae vertebrarum et secundum decursum principalium ramorum nervi, prout antea de paraplegiis commemoravi, partem affectam respicientis, persaepe sustulerunt. — Aliter se res habet in acutis nevralgiis, quae sine influxu externo suscitantur, sicut et in tetano, ubi applicatio moxae plus nocet, quam prodest.

*) A physiological Inquiry respecting the actions of moxa and its utility in inveterata cases of Sciatica, Lumbago, Paraplegia, Epilepsy and some other painful, paralytic and spasmodic Diseases of the Nerves and Muscles. By Vill. Wallace Dublin 1827. 8.

D. In morbis organiscis: et quidem

1mo. In morbis capitis, sic in idiopathica epilepsia, hydrope ventricularum cerebri, cephalaea. His in easibus applicatur moxa circa basim cranii, cumprimis in loco conjunctionis suturae squamosae cum sutura lambdoidea.

2do. In morbis pectoris sequentibus salutarem semet secundum Larrey exhibuit moxa, nominatim in

a. Asthmate non haereditario, aut per abnormem thoracis conformatiōnē evolutō, aut in nimis grandaevō homine locum habente. Praemissis cucurbitis cruentis applicantur cylindri ardentes ad latera pectoris, ubi capita muscularum pectoralis majoris, et serrati antici majoris affiguntur.

b. Cardiopalpus intermittens applicationi moxarum pone columnam vertebrarum, et circa regionem cordis cessit.

c. In chronicis catarrhis, et phlegmasia pleurae non minus utilis fuit moxa, si causam horum morborum retropulsa exanthemata aut syphilis non constituerunt.

d. Maxime efficacem se exhibuit moxa in phthisi pulmonali, ubi juxta Larrey stagnantes coagulatosve lymphaticos humores, tubercula scrophulosa resolvit, interna ulcera exsiccat, progressum cariei retardat, et consolidationem atque cicatrisationem abscessuum et vomicarum perficit. In hunc finem Larrey moxam applicat illi regioni pectoris, cui pulmonis partes morbosae medio Laennéci stethoscopi designandae subjacent. Efficaciam moxae in phthisi pulmonali non modo vivis exemplis, sed etiam sectione cadaverum ex aliis superaccidentibus morbis peremptorum, in quorum pulmonibus vestigia efficaciam moxae innuentia apparebant, extra dubium ponit.

Parem felicem experientiam semet in phthisi pulmonali cum moxa fecisse B. Percy asseverat in litteris ad C. F. Gräfe Berolinum 15. Febr. 1822. missis *) in quibus asseverat, quod plures quam centum derelicti phthisici inde

*) Gräfe und v. Walther's Journal. III. 3.

a duobus annis vim et sanitatem suam applicitis ad pe-
ctus pro ratione individualis exigentiae jam 6 jam 12
jam 16, jam 20 moxis debeant, non commemoratis nu-
merice aegris; quos coxalgia, tumoribus frigidis, curva-
tum ossium et inflammatione vertebrarum affectos he-
roico hocce remedio curavit.

Salutares vires moxae in chronicis pulmonum inflam-
mationibus non minus extollunt Hispani medici. Hic com-
memorasse sufficiat Doctoris Rivera in Villa Real de San
Antonio, Doctoris Sabino de Ara in Mojados et novel-
larum hispanicarum *) in quibus praeter complures casus
felices aegrorum ab 1818. — 22dum moxa sanatorium,
nominatum refertur unus peripneumoniae valde proiectae,
incassum aliis remediis tractatae, dein per iteratam appli-
cationem moxae ad sternum per suprannominatum Docto-
rem Sabino feliciter sublatae.

E. Ex morbis chronicis, et organicis abdominis:

1mo indurations potius incrassationes membranarum
et scirrhos ventriculi, ad quorum sanacionem interna re-
media, si non noxia administrus inutilia reperta sunt, per
iteratam applicationem moxae ad regionem epigastricam
sanavit C. Larrey.

2do. Infarcitus hepatis, lienis, et aliorum viscerum
needum ad summum gradum evolutos, sustulit moxa.

3to. Scirrhos uteri applicatione moxae ad regionem
lumbarem sanavit, aut transitum eorundem in cancrum
administrus impedivit.

4to. In rhachitide moxa secundum Larrey superat
omnia alia remedia, estque ut is dicere consuevit: le re-
mede par excellence. Praeter Pouteau commendavere in
rhachitide moxam, alii quoque complures Cel. medici.
Desalt observat, quod in rhachitide suppurationem fovere
non conveniat, eapropter aliquot guttas ammoniacae liquidae
non secus ac Larrey loco suppuranti superfundere com-
mendat; una monet, ne applicatio moxae fiat ad proces-
sus spinales, sed potius inter processus transversos ver-
tebrarum juxta decursum posteriorum ramorum nervorum
dorsalium.

5to. Princeps remedium constituit moxa in morbo
Pottiano, qui juxta Larrey in inflammatione vasorum
tendines, cartilagines, et ossa percurrentium consistit.
Cum itaque memoratae partes in organismo humano fre-
quentius occurrant, inflammatio earundem etiam saepius
locum habere poterit, quae pro diversitate sedis diversa
sortitur nomina. Sic in columna vertebrarum sedem ha-
bens, rhachialgia, in symphysi sacroiliaca sacrocoxalgia,
in sterno sternalgia, in costis costalgia, in articulatione
femoris femorocoxalgia audit.

Inflammationem clandestinam vertebrarum Larrey
pro vera phthisi earundem habet, et in hoc casu moxam
pone vertebrae affectas applicat.

Sacrocoxalgia ubi symphyses sacroiliacae morbose
affectae sunt, in primo solum stadio per moxam sanabi-
lis est.

In femorocoxalgia (morbo coxario) applicatio ferri
candantis juxta Rust hodie nusitata, moxae usum ob-
securavit. Larrey ipse quidem fatetur, quod in tribus ca-
sibus pede jam praeter normam elongato, ferrum candens
utiliter adhibuerit, licet postea animadversionem suam
addat, idmodi abbreviationem haud diu perdurasse, nisi
ulterior cura applicatione moxae adjuta fuit.

Ancylosis spuriae medio moxae curatae casum me-
morabilem refert Boyle medicus Londinensis in opere
suo. *)

Indicatis taliter morbis, in quibus moxa salutarem
effectum habuit, coronidis instar commemorare debo,
quod in morbis organi olfactus et gustus moxa nihil boni
praestiterit; sic etiam, quod in morbis animae cum men-
tis exaltatione junctis moxa secundum Larrey non con-
veniat.

*) A treatise on moxa applicable more particularly to stiff
joints, illustrated by Gases and Plates; with some general
observations on spinal Diseases, by James Boyle. London
1824. 8.

T h e s e s.

1. Existit amaurosis ex spuria nervi optici debilitate.
2. Internis remediis iritis syphilitica tuto sanari nequit.
3. Cataracta non eadem operandi methodo curatur.
4. Respiratio pulmonum est species vitalis secretionis.
5. In morbis inflammatoriis princeps remedium sanguinis evacuatio constituit.
6. In cura morborum princeps ratio habenda est febris.
7. Obtinet generatio spontanea.
8. Venena absolute talia non dantur.
9. Absoluta mortis signa non dantur nisi quae a putredine sunt.
10. Docimasia pulmonum evincit, an foetus respiraverit.

